DE DYSENTERIA,

PER AUCTUMNUM ANNI MDCCCXLVIII GRYPHIAE EPIDEMICA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMNA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHICA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE XIX. MENSIS JANUARII ANNI MDCCCXLIX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS JOSEPH. STÜECKEN,

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

FR. KESTING, MED. ET CHIRURG. DR.
B. TYRELL, MED. ET CHIR. DR.
C. MAULHARD, MED. ET CHIR. DRD.

GRYPHIAE

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

Prooemium.

Necessitate coactus, dissertationem scribere, diu dubitavi, quid e magno medicinae campo eligerem, quum de omnibus fere materiis jam excellentissimi viri meriti sint. Fortuito hac aestate dysenteria, quae epidemica erat, Gryphiam urbem insolenter molestabat, unde opportunissima mihi oblata est occasio, multa illius morbi characteristica observandi, quae digna mihi esse videntur, ut omnes, quorum interest, sciant. Sed minime mihi est in animo, totius morbi doctas tradere deductiones. Ne speres, carissime lector, nimis multa. Ego enim mihi proposui, illa sola describere, quae in singulis aegrotis, tractatis, aut, si malis, ad sanitatem reductis sub duce Berndt, Clinici Directoris, viri Illustrissimi, qui maxima utitur scientia

atque experientia, aut oculis, aut auribus comperta habeo. Qui igitur legerint, excusent me, qui scriptum docto animo minime satisfaciens tradam, neu hujus libelli mei, nisi benevoli sint judices.

Priusquam de epidemia ipsa loquar, pauca dis-
erere mihi in animo est de oppido, in quo saepis-
ime grassabatur, ejusdemque incolarum cultu, nec
ninus de conditionibus externis, quae ad provocan-
am eam maxime valebant. Quod quo facilius asse-
uamur, ipsa Ill. Berndt verba, in Lat. linguam
anslata, repetere conabor: Refert enim ille: 1)
Gryphia urbs haud longe a sinu quodam maris Bal-
ci, quod terram dirimit ab insula Rugia, in fertili
mnino stagnis libera, atque inde sanitati accom-
odata planitie, mari vicina, sub gradu quinquagesimo
uarto latitudinis atque uno et trigesimo longitudinis
eographicae ab insula Ferro sita est, tali modo, ut
enti e mari venientes atque aëris fluctus, nulla re
bstante, eam adtingant. Urbs, amoena, in pleris-
ue partibus ad hodiernam formam aedificata, viis
titur maximam partem latis atque rectis, quae pa-
nt ventis his, Cauro, Boreae, Subsolano. Quam-
uam conditiones, quae ad clima spectant, in Ger-
ania septemtrionali maximam partem eaedem sunt,
men in plano mari vicino praesertim illud peculi-
e obvenit, ut, quum sole occidente, temperatura

1) Klinische Mitthl. 3. u. 4. Heft. p. 63.

terrestris maritimam adaequare soleat, quamquam tempestate aestiva hilariter praeterita, nihilominus multae frigidae observentur vesperae noctesque propterea quod aëris fluctus, qui e maris regioni venientes, imprimis Caurus, atque Septentrionalis plerumque primis post meridiem horis animadvers continuatum tum majoris tum minoris venti ductum vehementem pariunt, qui non raro tanto plus mo lestat, quanto frigidiore atque acriore aëris qualita conjunctus est. Tempore veris, in primis mens Aprilis diebus nec minus saepe per totum Maju mensem, plerumque siccus acerrimus Boreas domi natur, qui cutem fragilem reddit atque valde erythe matis eruptioni favet praetereaque incolas ad aegri tudinem proclives facit. Magis vero continua amoen aestatis tempestas in medium Julium mensem inci dere solet. Sed per longum tempus omnino vald raro tempestas eadem est, exceptis mensibus Sep tembre atque dimidio primo Octobris, qui saep praestantissimam tempestatem afferunt. Primis No vembris diebus, quum ventus e regione septentrio nali flat, saepe per breve tempus frigus incipit quod turbida, pluvialis, vehementissima tempesta sequitur perdurans usque ad festum nativitatis. Hiem eo est charactere, ut nivis non multum afferat; ce terum eadem signa prae se fert, quibus in semptem trionali Germania uti solet. Plerumque aqua inte insulam Rugiam atque terram continentem tali mod congelascit, ut glacies tutum iter praebeat. Ve plerumque tantopere in serum trahitur, ut modo pos

Maji mensis dimidium herbae florescant. Ventus Subsolaneus, saepius Boreas vere, aestate occidentalis et Caurus, hieme atque auctumno Caurus et Boreas praevalent. Venti, Subsolaneus et Boreas plurimum ad conformandos morbos faciunt. Tempore auctumnali sub fine mensis Octobris, atque per totum Novembrem, neque minus vernali Marte Aprilique mensibus saepe atrocissimi venti, plerumque Caurus, observantur. Omnino praevalet magna tempestatis varietas, atque ad pluviam provocandam non raro multum conferunt nebulae maris illae, quae celeriter exorientes in terram prorumpunt, ibidemque in nubes condensantur. Tempore vernali auctumnalique praesertim hae nebulae videntur, quum minime contendi possit, illas momentum opportunissimum aegritudinum adducendarum existere. Tempestates turbulentae non saepe obveniunt, neque vehementissimae esse solent, cujus rei causam ab exigua electricitate positiva aëris marini repetendam esse satis constat. Ex his paucis, quae dixi, satis constare mihi videtur, clima hujus regionis plurimis anni temporibus rigiditatem tempestatemque mutabilem secum portare.

Attamen experientia docemur, nihilominus sanitati contrarium nominandum non esse; idque ex eo satis elucet, quod valetudo Civium Gryphisvaldensium multo melior est quam illorum, qui magis remoti a mari habitant, atque epidemiae, si quae eveniunt, plerumque leniores manent, raroque diutius grassantur.

Gryphia urbs numeranda est in opulentissimis, quae sitae sunt in ore Baltici maris. Cujus rei causae in primis quaerendae sunt in florente universitate, in summis judicum collegiis provinciae atque magna frumenti mercatura, neque minus in navium fabrica. Magna igitur pars incolarum viris eruditis, regisque magistratibus constat, quos sequuntur mercatores divites atque cives omnino bonis conditionibus usi, qui diversis modis sibi victum parant. Major pars inferioris ordinis hominum composita est ex illis, qui aut in portu negotiis incumbunt, aut lignis scindendis aut variis aliis laboribus vitam sustinent. Navigatores omnino prae ceteris bona conditione fruuntur, multosque, qui inferiori incolarum ordini adnumerantur, sustinent laboribus in navibus, si in peregrinas terras vadant.

Haec, quae repetii, de loci natura, incolarumque cultu, satis mihi esse videntur, ut intelligas cetera, quae dicenda sunt. Quod primum attinet ad illa, quae epidemiae incipienti praecesserunt, quo modo ex his morbus sensim nascens ad summum stadium auctus sit, his paucis exponam: Constitutionem gastricam jam per multos annos constitutionariam fuisse satis constat. Hoc quoque anno, quod nemo dubitat, maxime praevalebat. Primis hujus anni mensibus, nec minore gradu tempore vernali, incipiente, mediaque aestate, febris intermittens grassabatur in hoc oppido epidemica, ut morbus intercurrens. Qui morbus tantam assequebatur divulgationem, ut nulli parceret aetati, nec infantibus nec

pueris puellisque, nec adolescentibus nec viris senibusque. Omnes laborabant febri intermittente. Nullus fere morbus obvenit, in quo non febris intermittens larvata, ut dicitur, praevaluisset, ut nullius paene morbi sanatio nihilo nisi remedio Chinini quaerenda fuisset. Sub fine veris, atque initio aestatis praesertim morborum genius inflammatorius in oculis fuit. Affectio primam sedem habebat in pectoris organis, in pueris magis erupens sub forma bronchitidis, in adolescentibus virisque pneumoniae atque pleuropneumoniae. Morbilli saepe intervenientes animadversi sunt, nominatim autem versum mediam aestatem multae tusses convulsivae. Neque minus fuit hoc tempore systema gastricum liberum ab affectionibus inflammatoriis. Saepissime status gastricus congestivus biliosus aderat, qui ad inflammationem inclinabat, neque ipsa inflammatione carebat. Neque minu sintestinorum affectiones inflammatoriae observabantur, inter ceteras tunicae mucosae, ejusdemque autem formarum illa, quam folliculosam nominare solemus. Hoc, quem descripsi, modo, dysenteria sensim sensimque nascebatur.

Primi, qui dysenteria laborabant, aegroti, nobis tractandi traditi sunt versum mensem Julii medium. Tempestas illius temporis magis frigida atque humida, quam calida siccaque fuerat. Inprimis fuerunt noctes acri frigiditate. Boreas fuit fere per totum tempus ventus continuatus. Subito autem sub fine mensis Junii atque primis mensis Julii diebus maximus erat calor, qui sub vesperam subito frigore commutabatur, id, quod omnino hoc loco saepe animadverti solet.

Hominum, in quibus morbus primum palam fiebat, domicilia sita sunt in Gryphiae urbis quodam suburbio, in serie langa sic dicta. Vir juvenis robustus fuit primus, quem morbus mediocri intensitate capiebat; sed non multo post ad incolumitatem rediit. Paucis post diebus mater illius adhuc reconvalescentis in dysenteriam delapsa est; simul matrona illis vicina dysenteria laborans curandam se praebuit. Eodem fere tempore aegrotare coeperunt duo eidem familiae affinitate conjuncti. Interim dysenteria in urbem penetravit, atque in una ejus platea plures simul dysenteria laborantes obvenerunt. Ex his duobus locis dispergebatur morbus tanta celeritate, ut non ita multo post nulla fere domus esset in suburbio supra nominato, quae dysenteria laborantem non haberet. In urbe ipsa morbus serius, mense Augusto finito, atque per Septembrem majorem dilatationem assecutus est. Adolescentes fuerunt primi, qui corripiebantur, posteriore tempore saepissime atque maxime intensive infantes. Quae domus unum habebat dysentericum, in ea fere tota familia comprehendebatur morbo. Verum raro lenibus colicis doloribus exortis, opio remedia impediri potuit, quominus dysenteria conformata sequeretur.

Quomodo omnino dysenteria se ostenderit.

Ab auctoribus medicis plerumque dysenteriae stadium prodomorum commemoratur, quod insignitur totius corporis gravitate, lassitudine omnium

artuum languoreque, appetitu deminuto, acerbis stimulis abdomini adhaerentibus usque ad anum pertinentibus, borborygmo, tremore pulsuque in ventre, intempestivis irregularibusque alvi excretionibus, unde dysenteria perfecta sequitur. Qui quiden prodromi ei aberant dysenteriae, cujus animadvertendae hic mihi jucunda occasio erat data. Aegrotaturus enim, quamquam sanus cubitum ierat, somnumque ceperat, tamen repentino ad alvi evacuationes impulsu, sensu abdominis pleni, ventris doloribus, borborygmo, horripilationeque excitabatur. Excrementa celerrime cum ani ardente dolore nisuque ejiciebat, quae plus minus aquosa, flave fusceque colorata erant. In prima etiam evacuatione interdum cum excrementis jam cruor erat mixtus, quo tamen aegrotus plerumque sese levatum sentiebat, donec post aliquod tempus, horam vel minus spatium, impulsus ad sedes iterabantur, omniaque illa symptomata, quae diximus, magis magisque perspicua erant. Evacuationes quidem saepius fiebant, magis magisque a statu normali differebant, dolores colici, tenesmus augebantur, communis morbi acerbitas, praecipue virium exhaustio, atque sitis amplificabantur, donec tandem morbus symptomatibus omnino decrescentibus, normalibus alvi solutionibus raro celeriter, saepius lente, in sanitatem vertebatur, aut in aliam morbi formam aut denique viribus lente consumptis in mortem transiebat. Hac forma morbi breviter et arcte tradita, nunc singula ejus symptomata contemplemur.

Colicae passiones primum characteristicum et crucians signum dysenteriae erant, quae inter omnia alia symptomata primae erumpentes maxime regionem umbilicalem occupabant, indeque plus minus totam per alvum sese extendebant, praecipue autem Coli decursum sequebantur. Ipsae plerumque intermittebant, unaquaque autem evacuatione augebantur, hisque incredibili celeritate iteratis etiam continuae fiebant.

Neque minus constans et certum symptoma, quam dolores colici, erat tenesmus. Qui quidem initio exiguus tantum, primisque cum alvi solutionibus sese ostendebat. Tempore, quo aegrotus evacuationibus carebat, tenesmus se manifestabat sensu ano adhaerentis impedimenti irritationisque, quae aegrotum ad excrementa ejicienda, plura quam ejecta sunt, pulsat. Majore morbi gradu aegrotus continuo sentiebat, quasi fervidum carbonem anum suum irritare. Tenesmus una cum exacerbatis doloribus colicis idem erat, ita ut ipsi superiore intestinorum parte declinantes in recto sese colligerent, ibique vehementes nisus dolorosasque angustias efficerent.

Alvi solutiones quantitate et qualitate valde inter se differebant. Saepius e parva muci quantitate, qui plus minus firmus inveniebatur, constabant, cui sanguinis vibices colore inter nigrum et rubrum variantes admixtae erant. Initio quidem morbi, priusquam dysenteria plane conformata erat, evacuationibus fusca inerat massa faecium, postea autem neque raro, morbo incipiente, omnes deerant faeces. Neque raro etiam excrementa composita erant ex san-

guine opaco; illos, qui ea erant conditione, plerumque mors auferre videbatur. Mucus ejectus modo erat puri similis, modo gelatinosus, modo coagulationes floccosque tortos effingens, qui, scrutatione diligentissime adhibita, maximam partem ex cellulis epitheliacis compositi inveniebantur. Excrementa plerumque acria non raro excoriationes in ani regione atque genitalium efficiebant. Quantitas autem excrementorum saepissime erat exigua, numerus contra alvi solutionum magnus, ut ipsae, quod ego quidem observavi, quinquies vel sexies, si numerum medium vis, in unaquaque hora fierent.

Ceterae vero et secretiones et excretiones ex dysenteria laborantium omnes fere oppressae erant. Cutis enim erat sicca, saepe corio similis, aspera, os humidum tenaxque, lingua pariter sicca, saepissime secretio urinae plane fere sublata.

Si gradum morbi in quaestionem traxeris, ejus nobis occurrunt hae dysenteriae.

Differentiae.

1. Diarrhoea dysenterica. Status morbi hac ex parte consideratus, maxime erat diarrhoeae forma. Symptomata, dolores colici et tenesmus in intestino recto non magni erant momenti, raro tamen omnino deerant.

Evacuationes aquosae, acres, neque faeces consolidatas continebant, sed tamen de solutis faecibus derivandum fuscum colorem praebebant. Ne-

que raro in iis jam vibices sanguineae, flocci epitheliaci, mucusque apparebant. Ceterum haec morbi forma in singulis tantum conspiciebatur, potius in illam transibat formam, quae sequitur:

2. Dysenteria conformata. Haec forma omnia symptomata dysenteriae expleta nobis profert et praeclarissimam dysenteriae imaginem ostendit, qua de causa hanc formam summo jure dysenteriam regularem nominamus. Symptomata omnia, ut nomina proferam, dolores colici, tenesmus, modico gradu, existebant. Excrementa erant serosa, vibicibus sanguineis conmixta, postea sine faecibus, colore fusco, sanguinem, saepe tantum mucum, cellulas epitheliacas continentia. Febris modica synochica, saepe omnino deerat. Morbus autem ad finem plerumque per septem et novem dies pervenit. Sedes morbi hujus gradus sine dubio in intestino recto quaerenda erat. Hujus quoque morbi formae rarae erant, persaepe character sequentis formae morbi praevalebat, quod autem non semper omnino conformatus est morbus, id repeto a celeri atque praepotenti curatione. Sed tamen permultos invenimus, in quibus morbus per totum intestinum crassum extensus in enteritidem progressus erat. Nominemus hanc formam:

3. Dysenteriam inflammatoriam seu enteriticam. Aegroti subito febri acuta affecti sunt, quae per primos dies tantum ut febris inflammatoria se ostendit; postquam autem affectio localis ad gradum verae inflammationis pervenit, symptomata permu-

tabantur et ante oculos erat enteritis. Abdomen plerumque totum dolore affectum erat, sed dolor Colon sequebatur ascendens, transversum, descendens. Eo magis excrementa cruenta, quo magis praevalebat inflammatio. Sedes fuerunt magno cum dolore conjunctae, saepe diu durans tenesmus nullum habebat effectum. Physiognomia aegroti erat propria, facies pallida, magis frigidula quam calida, magis remissa quam convulsive distorta, oculi enervati, palpebrae semiconclusae simulque oculi in orbitas retracti; Nares atque aures magis frigidae; simul arteriarum pulsus invenimus muriformes, molles, vacuos, ut digitis vix sentire possimus; aegroti tamen animus nullo modo perturbatus. Non solum symptomata, quae supra diximus, sed praecipue cadaveris aegrotorum, in quibus symptomata sese ostendebant, dysenteriae inflammatoriae, sectiones, quae singulae nobis erant instituendae, nos certiores fecerunt, morbum per totum intestinum crassum extensum fuisse.

Differentiae dysenteriae quoad morbos combinatos.

Non enim semper in simplici illa atque pura, quam descripsimus, forma, obvenit dysenteria, sed saepe dysenteriae specimen aliis immixtae morbis ante oculos habuimus.

1. Etenim omnes fere aegroti querebantur, se magnis premi molestiis, quae a nobis gastricae cognitae sunt. Lingua muco flavo obtecta, gustus amarus, appetitus ciborum perturbatus, ad vomen-

dum inclinans non raro aegrotus re vera vomere cogebatur. Huc accedebant in regione epigastrica dolores, qui, si premere illum locum velles, tanto magis augebantur. Ut paucis igitur verbis utamur, conformatam status gastrici congestivi biliosi effigiem descripsimus, in quo emetica remedia magno esse emolumento satis experti sumus. Sive hunc statum derivare malis a vi constitutionis stationariae, sive persuasum tibi sit, ponendum eum esse in hyperaemia partis superioris tractus alimentarii, propterea quod praevaleat communis ad intestinorum inflammationem inclinatio, omnia me non adtingent, meum enim est, ea, quae oculis meis vidi, tradere.

2. Saepe quoque febris intermittens accessit cum dysenteria complicata, inprimis autem quum morbus finiri videretur. Quae quum ita essent, semper difficile fuit, febrim fugare, propterea quod tractus intestinalis irritatione dysenterica affectus, Chininum porrigi aliquantisper vetabat.

3. Etiam puerperae, nisi fallor, quatuor dysenteria laborabant. In muliere quadam jam inter graviditatem aderat dysenteria, quae, partu peracto, ut praevidendum fuit, augebatur.

In ceteris dysenteria nonnullos post partum dies accessit. Omnes illae pendebant in mortis periculo, praesertim quum in iis, quod saepissime secundum Beat. Berndt jun. [2]) in talibus causis inve-

---

2) Krankheiten der Wöchnerinnen von Dr. E. G. F. Berndt. Erlangen 1846 pag. 237.

niri solet, inclinatio ad endometritidem, quin etiam endometritis ipsa conspiceretur. Sed methodus antiphlogistica, magno gradu adhibita, omnes in sanitatem restituebat.

4. Permulti simul dysenteria ac morbillis laborabant eo modo, ut morbilli et antevenientes et dysenteriam sequentes conspicerentur.

5. Tussis convulsiva conjuncta dysenteriae non raro aderat. Omnes hae combinationes in cura tanto fuerunt pondere, ut sanationem saepe prolatarent.

Quomodo epidemia decurrerit.

1. Hac in quaestione tria sunt sumenda stadia. Primum stadium incrementi sub Julii mensis fine incipiens durabat usque ad Augusti mensis exitum. Julio mense ex dysenteria laborantes sex nobis curandi tradebantur, Augusto illorum numerus ad unum et sexaginta auctus fuit. Ex his sex diem obierunt supremum, in quibus tres infantes.

2. Quod sequebatur stadium acmes epidemiae mense Septembri, quo tempore ducenti nonaginta novem aegroti aderant; in his fuerunt multi, in magno pendentes periculo, multi, in quibus status morbosus in totum intestinum crassum diffunderetur, multi in quibus inclinatio ad enteritidem ipsaque enteritis sese ostenderet. Ex his tredecim mors abstulit, quorum octo fuerunt infantes atque duo senes.

3. Stadium decrementi. Mense Octobri epide

mia et intensitate et extensitate minuebatur. Quo in mense octoginta novem soli curabantur. In his multi fuerunt infantes senesque. Mortui sunt ex his decem, quorum duo infantes atque quinque senes. Interim epidemia ad finem progrediebatur. Ex hoc tempore omnibus fere morbis, qui evenerunt, Diarrhoea dysenterica sese adjunxit, quamquam epidemia non subito finiebatur. Ex viginti duobus, qui mense Novembri ex dysenteria aegrotabant, tres solos mors abstulit. Decembri mense, quo tempore haec scribo, nonnulli dysenterici adsunt. Omnino igitur quadringenti septuaginta septem dysenteria laborantes curati sunt, ex quibus triginta tantum et duo mortem obierunt, qui ut nemini dubium erit, certe opportunissimus est eventus, idque tanto magis, si animo consideras, hoc terrarum loco pauperes, quamquam unaquaque hora libentissime gratuitum auxilium a medicis clinicis fertur, medicina sine mercede data, pauperes puto, nihilominus, horribile dictu, tam pigros esse ad quaerendum auxilium, ut aegroti saepe tres quatuorve dies praetermittant horribilissimis doloribus cruciati, priusquam eis in mentem venit, necessarium esse, ut medico se curandos tradant. Ejusdem modi casus non raro in epidemia nostra obvenerunt, ita ut aegroti qer octo dies jam morbo affecti nobis curandi traderentur, postquam perniciosissima jam remedia domestica adhibita erant. Etiam in ipsa curatione legali haud raro consilio alicujus vetulae et remediis usi sunt, quae legi artis

omnino erant contraria. Quamquam haec erant superanda impedimenta, tamen morbus cessit, et cura habuit felicissimum eventum.

C u r a t i o.

Quod ad methodum dysenteriae curandae pertinet, praemittendum mihi videtur, pristino tempore diversas de causa dysenteriae proxima exstitisse sententias: alii dysenteriam rheumatismum intestinorum esse statuebant, alii catarrhum, alii causam próximam in acris bilis effectu ponebant, alii rursus in spastica quadam intestinorum affectione, alii in oscillatoria quadam intestini recti irritatione cum alienata atque aucta secretione conjuncta. Ill. autem Berndt, reverendissimus praecertor, summo jure in primis habendus, qui de dysenteriae causa proxima rectissime judicarent; qui ratione nisus methodo curandi rationali usus est. Anno 1834 et 39, quibus temporibus hac in urbe dysenteria grassabatur, persaepe ei occasiones observandi oblatae sunt dysenteriam, non sulum in aegrotorum lectis, sed potius in cadaveribus desectis. Quas observationes libro edidit [3]). Ut clarius hujus generis curandi causas intelligas, ill. Berndt opiniones de dysenteriae causa proxima breviter e libro citato [4]) referre mihi in animo est:

3) Klinische Mittheilungen von Dr. F. A. G. Berndt, III. und IV. Heft. Greifsw. 1840.

4) Pag. .

„In dysenteriae morbo praecipue duo inveni objecta curandi, diathesin morbi universalem, et affectionem quandam topicam in crasso intestino, quae inflammatio apparet. Quamquam naturam illius omnino non cognovimus, tamen haud dubium est, quin bilioso atque erysipelatoso morbi statu affinis sit; qua re fit, ut secretionibus praecipue in apparatu organorum chylopoeticorum adaequetur. Permagna bilis accumulatio, cadaveribus dissectis observata, et in vesica fellea, et in tenui intestino ostendere mihi videtur, hepar plerumque in hac re vim habere. Morbus autem, si tam benignum se praebet, ut natura ipsa arte haud adjuvante, adaequationem atque curationem ejus efficiat, nobis praecipue eo spectandum est, ut hanc secretionem criticam in hepate augeamus, et bilem accumulatam, ejus effectum, removeamus. Quod consilium diversis medicamentis assequendum esse, docet experientia de diversorum purgantium utilitate, ut nominem Tart. dep., Tart. tartar., Natr. sulph., Magn. sulph., Rheum, Ipecac., Mann., Pulp. Tamar. In primis autem numerandum est Hydr. mur. mite; partim quod specificam atque localem in hepar vim habet, non solum recta ejus in venae portarum systema receptione, sed etiam hac de causa pendente concentrato in hepate effectu; partim autem, quod in magna dosi porrectum, alvi solutiones certe auget atque inflammationis processui maxime respondet. Quum ipse experientia cognitum habeam, permultas dysenterias curandi methodo tam vehementi omnino non egere,

tamen mihi persuasum est, hanc methodum in dysenteriis intensivis praeferendam esse. Curatio enim magnis Calomelanos dosibus tam certum habet eventum, ut 36 — 48 horis praeterlapsis morbus cesset. Simulac usu Calomelanos solutiones biliosae efficiuntur, atque per 24 — 36 horas perductae sunt, morbus ad finem properat. Alterum curandi objectum constituo topicam in intestino crasso affectionem. Illa enim, sicut erysipelas, status inffammatorius habenda est, qui decursum a natura descriptum facit. Qua de causa haud eo spectamus, ut statum illum subito sanemus, sed potius eo nobis contendendum est, ne ad permagnum gradum perveniat inflammatio, atque valde degeneret. Igitur morbi decursus, crisi materiali, quam diathesis communis dysenteriae postulat, aucta ad finem perducendus est. Quod assequimur dysenteriae, quam supra diximus diatheseos curatione, illud autem partim Colomel. magnis dosibus datis, partim et praecipue sanguinis detractionibus. Quae detractiones magna cum cautela adhibendae, simulac autem status febrilis cum dysenteria se conjunxit, necessariae sunt atque iterandae. Topica autem affectio non et inflammationem solam, sed et secretionem abnormalem testatur, qua acri secretione superficies intestinorum afficitur, topica affectio augetur, fortasse etiam exulcerationes oriuntur. Praecipue autem secreto irritationes in intestino crasso provocantur atque augentur. Acris igitur secretio mollienda, atque nervorum intestini crassi irritabilitas re-

mediis emulgentibus et contrastimulantibus deminuenda est, e. c. Mucilaginosis, Oleosis, praesertim lacte, aqua tepida; praeclarum autem, meam secundum experientiam remedium habeo potum ex ovorum albumine compositum. Certissime etiam irritatio deminuitur, quae in tenui intestino retinetur, bili propulsa, atque colici dolores et tenesmus evanescunt. Haec autem symptomata non affectio nervorum sola, sed reactio reciproca, atque acri illuis secretionis irritatione provocata, habenda sunt. Qua ex re fit, ut symptomata curationem remediis narcoticis non postulent, ut potius in dysenteriis gravioribus narcotica illa noceant, etc. etc. Sic ille

Illa quae diximus, dysenteriae curandae genus, certum fecerunt. Aegrotis, qui certe diarrhoea dysenterica affecti erant, Opium datum est cum Mucilaginosis. Hoc genere curandi adhibito saepe, quominus dysenteria ipsa conformaretur, impediebatur, saepius autem morbus ad transitum in dysenteriam inclinabat: tum statim Colomel. porrigebamus, adultis unaquaque hora gr. ij, infantibu sautem gr. $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$—j.

Potus mixtura erat modi j aquae, cum albumine sex ovorum. Haec curatio plerumque per 72 horas adhibebatur. Tunc vero excrementa viridia erant, ita, ut saepe symptomata remitterentur, saepe etiam omnino non desinerent. Hoc morbi statu deinde Decocti Pulp. Tamar. exunc. una parati uncias sex, cum Natr. nitr., vel Tart. dep., vel Ntr. sulph. dabamus per diem unum aut biduum. Dolores cocili et tenemus cesserunt et emlusione oleosa ute-

bamur. Symptomata morbi sensim omnia remittebantur, excrementaque normalia ejiciebantur. Reconvalescenti consilium datum est, ut caveret, ne refrigeraretur, et Mucilaginosa et nutrimenta emulgentia sumeret. Sic demittebatur. Hoc curandi genus simplex saepe mutandum erat. Simulac pulsum inflammatorium invenimus, venae sectione usi sumus, duabus, tribus, etiam necessitate coacti quatuor; Colomelanos usus saepe ad diem quartum, quintum continuabatur, dosibus minoribus; tum demum Oleosa adhiberi poterant. In abdomine saepe sinapismus applicabatur enteritide praevalente, etquidem optimo cum eventu; neque minus calor siccus in abdomine praescribebatur. Emulsioni saepe opium admiscendum erat, si, dysenteria pulsa, tamen diarrhoea aegroti laborabant. Saepe etiam alvi obstructiones accedebant; ad quas removendas emulsio Olei Ricini data est. Balneis calidis interdum optimo cum eventu utebamur.

Anatomico pathologicae mutationes tractus alimentarii, in quatuor in nosocomio nostro ex dysenteria mortuis inventae, a commilitone amiciss. Max. Schultze annotatae, microscopio accuratissime perquisitae ab ill. Prof. Dr Schulze.

In quoque cadavere inflammatio gravis intestini crassi, quae in uno Bauhini valvulam prorsus interrupit, in reliquis pedes complures in intestinum tenue continuata erat. Intest. crassum cadaverum duorum nihil praebebat, nisi vasorum injectionem

permagnam tunicae mucosae, epithelio arbatae, et tunicae cellulosae, quae simul valde intumuerat. Haec signa usque ad rectum augebantur et in hoc maxime florebant. Color tunicae mucosae hic apparebat ex fusco et rubro mixtus, infiltratio tunicae cellulosae major et plicae transversae clarissimae elucebant. In aliis casibus duobus, quum aegroti post trium amplius hebdomadum morbum obiissent, color ille fusco-ruber jam in colo transverso exsistebat et versus rectum et in eo in atro-purpureum commutatus erat. Simul in recto singulae prominentiae, plicis transversis correspondentes conspicuae erant, quarum superficies nonnullis in locis tunica mucosa carebat, quod utrum ulceratione vera, an mechanica emollitae et mortuae tunicae mucosae solutione sit factum, dubium est, tamen plurimis in locis haec solutio facta videbatur. Folliculi cylindrici, glandulae Liberkühnianae, tunicae mucosae intestini crassi omnes amplificatae erant, ex parte sanguinis corpusculis refertae, eorum ostia dilatata ita ut loci, ubi tunica mucosa non destructa erat, jam oculo nudo ostia praeberent; per microscopium considerata haec tunica sicuti acu puncta videbatur. Tunica cellulosa in eminentiis septies ad decies incrassata et fluido, molta exsudati et puris corpuscula continenti infiltrata. Simul nonnulla telae cellulosae retia valde dilatata ostendebantur, ita ut oculo nudo maculae flavae apparerent. Alcoholo adhibito, exsudatum puriforme ita ex cellulis removeri potuit, ut stroma illud carcinomatis areolaris imi-

tans, et latis spatiis instructum rete remaneret. Ad formationem abscessus sive exulcerationem veram haec degeneratio nusquam provecta erat. Fibrae musculares paullulum commutatae erant, infiltratione tantum inspissatae et colore fusco tinctae. Tunica peritonaealis, firmiore materie in substantiam ejus exsudata, crassior erat facta.

VITA.

Franciscus Josephus Stüecken, fidei addictus catholicae, natus sum Balvenae, Guestphaliae oppido, die XIII. mensis Martis anno hujus saeculi secundo et vigesimo, patre Clemente, matre Mari'a Catharina e gente Schaefer, quos atrox mihi abstulit mors. Primis litterarum elementis domi ab Rev. Wulf pastore, cui quantam maximam habeo gratiam, imbutus, per sex annos gymnasium, quod Monasterii sub auspiciis Directorum Cl. Nadermann et Cl. Stieve florebat, frequentavi. Tempore auctumnali anni XLIII maturitatis testimonio ornatus Monasterii a Rectore Magnifico Beat. Kellermann civibus academicis adscriptus sum. Per quatuor semestria et theologicis et philosophicis interfui praeclectionibus; aliis philosophicis omissis has tantum nomino:

Ill. Esser, de Logice.

Ill. Schlüter, de psychologia.

Beat. Becks, de Botanice.

Tum Gryphiam petii, ubi Rector Magnificus Ill. Beseler, studiosorum matriculae, Decanus spectat. Ill. Baum facultatis Medicae albo me inscripsit. Per sex semestria scholis interfui:

Ill. Hünefeld, de Chemia et mineralogia.

Ill. Hornschuch, de Zoologia. Eundem corpora naturalia musei zoologici demonstrantem audivi.

Ill. Tillberg, de Physice.

Cel. Laurer, de Osteologia et Syndesmologia, Neurologia, Splanchnologia, de Anatomia organorum sensuum, et de Arte fascias rite alligandi.

Cel. Eichstedt, de Microscopii usu et de Exanthemat.

Ill. Litzmann, de med. Encyclopaedia et Methodologia, ac Materia medica, de Pathologia et Therapia generali, de Semiotice, de methodo formulas medicas rite concinnandi.

Ill. Schulze, de Anatomia corporis humani, de Anatomia comparata et pathologica, de Physiologia et de arte cadavera rite dissecandi.

Ill. Berndt, de Pathologia et Therapia speciali, de morbis psychicis, de morbis infantum, de Arte obstetricia, de Operationibus in phantomate instituendis, de medicina forensi.

Idem mihi dux erat in Clinico medico et obstetricio.

Ill. Baum, de Chirurgia generali et speciali, de Ophthalmiatrice, de Fracturis et Luxationibus. Idem dux mihi erat in exercitationibus operationum chirurgicarum in cadavere institutis, nec non in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Berndt insigni erga me favore contigit, ut medici inferioris in instituto ad curandos aegrotos e morbis psychicis laborantes, munere per aliquod tempus fungerer.

Quibus omnibus, quos dixi viris, de me valde

meritis, quas possum maximas ago gratias, easque in sempiternum habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico examineque rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi medicinae, chirurgiae, artisque obstetritiae in me conferantur honores.

THESES.

I.

Dysenteria contagiosa fieri potest.

II.

Aqua vitae, aqua mortis.

III.

Rerum medicarum notitia quaedam profanis plus nocet quam prodest.